D. F.

ANNOTATIONES JURIS FEUDALIS AD LUCUBRATIONES J. R.


EXERCITATIO PRIMA

DE

ORIGINE FEUDORUM,

Quam

PRÆSIDE



D. BARTHOL. LEONHARDO SVENDENDÖRFFERO,

Juris Antecessore,

Publice defendendam suscipit

CHRISTIANUS LUDOVICUS STIGLITZ,


Lipsiensis,


In Auditorio Juridico Lipsiensi

Die 2. Septembr. MDCXCVII.

LIPSIÆ,

Excudebat CHRISTIANUS SCHOLVINUS.









CAPUT I.

DE ORIGINE FEUDORUM.

SUMMARIA.

I. *Jus Feudorum est antiquissimum, & observantia introductum.*
II. *Nativitas Feudorum.*
III. *Occasio & Caussa Feudorum instituendorum.*
IV. *Initia Feudorum olim erant valde tenuia.*

§. I.

JUs Feudorum consuetudinarium; antiquissimum esse, & observantia & moribus primitus introductum, id inter omnes convenit, Feudista ipso attestante. I. *F. t.* 1 §. 1. *confer. t.* 28. 2. *F. t.* 26. *& textus alios passim.*

PRIMITUS INTRODUCTUM:) *Juris Feudalis introductio* s. origo ad exemplum Juris Civilis Romani vel *Naturalis* est vel *Civilis*, hæc ut & *externa* est existentia, quæ dependet a tempore, quo Jus Feudale initium & progressum habuit, Origo *naturalis* quæ etiam *interna* appellari potest, dependet a Causis & principiis, ex quibus Jus Feudale constat. Suntque vel *Communia* vel *Propria*. *Principia Communia* seu *Ascititia* sunt principia Philosophica, tam Theoretica quam Practica, Principia *Propria* & *Peculiaria* sunt vel *Remota* vel *Propinqua*, Remota sunt tum Jus Naturæ, tum Jus Gentium (non quidem *positive* ac *præceptive*, sed *negative* ac *reductive*, quod rectæ rationi non repugnet, sed cum ea conveniat, exinde tamen firmiter inferri nequit, quod feuda originem trahant ex Jure Gentium, nec illationem secundare potest vel Feudorum receptio, vel contractuum a Jure Gentium dependentium circa feudorum constitutionem adhibitio. Receptio namque & approbatio præsupponit negotii jam jam introducti existentiam, contractuum autem usus sicuti ad feudi introductionem nihil contribuit, sed eorum saltem translationi inservit, ita actum qui per eos promovetur, non facit Juris Gentium. *§. pen. J. de Jur. pers. Godofr.* Anthon. *disp. feud.* 1. *θ.* 1. *Lit. C.*) tum Jus civile Romanum, *2. F.* 1. *Proxima* sunt Jura Feudalia de feudis specialiter constituta, quorum cognitionem ad verum intellectum requirit *Juris feudalis Scientia* seu *Jurisprudentia* (: de cujus existentia ideo non est dubitandum, quod detur Jus Feudale, *2. Feud. 1.* quod requirit non modo rectam interpretationem, verum etiam dextram applicationem, item quod dentur Juris Feudalis Periti, *2 f. 1.* qui a Jurisprudentia vel periti dicuntur, & sine ejus habitu esse nequeunt,:) *Estque prudentia non publica sed privata Jus Feudale recte interpretandi & ad negotia feudalia dextre accommodandi.* Quæ dividitur in tres partes, *Finem*, *Subjectum* & *Media*. Finis distingui poterit in *Finem internum* & *externum*, ita ut finis internus sit vera Juris Feudalis *Interpretatio Doctrinalis*, quæ est vel *Declarativa*. vel *Extensiva* vel *Restrictiva*, *Declarativa* est pro-

pria

pria sensus expositio. *Extensiva* est Juris Feudalis ob rationis identitatem ad casum non expressum pro luctio. 2. F. 54. *Restrictiva* est verborum Juris feudalis generalium ad casum special em limitatio. *Finis externus generalis* est salutis publicæ ex feudis oriundæ promotio. *Finis specialis* est *Justitia feudalis*, quæ Jus suum cuique circa causam feudalem competens tribuit. *Subjectum* Jurisprudentiæ Feudalis est vel *Inhæsionis* vel *Operationis* *Subjectum Inhæsionis* est Juris Feudalis Peritus. 2. *Feud.* 1. *Subjectum Operationis* seu *Objectum* adæquatum ac principale sunt negotia feudalia ad Justitiam feudalem conformanda & ad civilem beatitudinem dirigenda. 2. F. 1. *Media* sunt Juris competentis cognitio, & Juris cogniti obtinendi ratio.

§. II.

De nativitate vero Feudorum, & ad quod tempus ista referenda, non una est interpretum sententia. Quidam primam Feudorum caussam ad prædia tributaria & stipendiaria referunt. *Lucas de Penna.* Quidam Feuda cum ipso genere humano prodiisse autumant. *Niel.init.Disp.Feud.* Alii aliter. *vid. D.Struv. in Syntagm. Jur. Feud. c.1, th. 3. n.* 8. Si veritati propius accedere liceat, interesse putarim, an de Origine Feudorum, an vero de primitiis Juris Feudalis moveatur quæstio? Feuda Gentibus Germanicis suos debere Natales rectior Grotii, *lib.2 de jure belli & pacis, c.7.num.*21. fere opinio, quam datis rationibus sequitur. *Dn. Struv. Syntagm. Jur. Feud.d. c.aphor.*3.

num. 1. *&* 2. Quamvis de Gothis merito dissentiam, cum Giphanio, *de Feud. Jur. c.* 2. Dn. Zieglero, *in annot ad Grot. d. c.* Jus autem Feudale, quod Corpori Juris hodie insertum, ex consuetudinibus Longobardorum, qui circa annum Christi 568. Imperante Justino ex Germania Italiam profecti, ejus partem quæ Longobardia vel Lombardia audit, occuparunt, & ibi moribus Feudalibus, ut in Patria, usi fuerunt, quos tunc temporis Gentes Viciniores imitatæ & secutæ sunt *Hunn. Tr. Feud. c.* 1. *de orig. Feudi. Molin. in Consvet. Paris. t.* 1. *num.* 6. prodire cœpit. Id quod & frequens Legum Longobardicarum in Jure Feudali mentio. 2. *F. t.* 1. *& t.* 39. & vocabula ipsa, usui Feudorum inservientia, arguunt. *Hotom. in Disp. Feud. c.* 3. Hinc quid de illorum opinione, qui Feuda ex Jure Romanorum promanasse judicant, statuendum, ex se etiam liquet, cum secundum Feudistam Jus Feudale legibus Romanis sit contrarium, & nihil in illis de eo cautum, *d. t.* 1. *Duar. in Comment consuet. Feud c.* 3. *num.* 4 His Consuetudinibus accesserunt Constitutiones nonnullæ Imperatorum, veluti Conradi II.

1. *Feud,*

1. *Feud. t.1.2.F.t.34. & 40. Heinrici III. 2 F.t.57.* Lotharii III. vel rectius II. 2. *F.t.52.* & Friderici I. 2. *Feud.t.27.53.55.* & 56. & Pontificum, videlicet Urbani. 1. *F. t.* 6. Compilatores harum Consuetudinum Longobardicarum non inepte dixerim Gerhardum Nigrum & Obertum de Orto, (Consules Mediolanenses, *Otho Frising. 2. de rebus gestis Friderici*) ex ipsis illis conjecturis, quas honorem incerto vindicans autori, affert Dn. Struvius. *d.c. aph.5. n.*2. De moribus vero Feudalibus Saxonicis & Suevicis incertum magis fateor Collectorem cum eodem Dn. Struvio, *d.l.n.5.*

Ad prædia tributaria & stipendiaria.) Ut ab his causa Feudorum prima repetatur, hoc obstat, quod prædia ista solis concedebantur militibus, & quidem non sub fidei, sed stipendii vel tributi præstatione, eumque in finem, ut sint in possessorum pleno dominio. *§.41. J. de R.d.* quod cum feudi natura non convenit. *2. F.6.7.8.§.fin.*

Niellius.) Hic *disput. Jur. Feud.* 1. *th.* 1. in ect. initia feudorum deducere conatur a prima Monarchia, eumque in finem adducit textum ex 1. *F.* 1. § 1. ubi feudum refertur ad tempus antiquissimum, & ex *2. F.52.* ubi Feuda ad vires Imperii augendas facere asseritur, tum ex *Cap.* 14. *vers.* 2. 8. 11 & *seqq. Genes.* sicuti autem necesse non est, ut tempus antiquissimum sumatur *absolute* pro tempore plane ac simpliciter antiquo, sed commode intelligi poterit de tempore, quo feuda introducta sunt, & respectu temporis posterioris ac subsequentis, quo, nec non respectu compilatoris Juris Feudalis omnino est antiquius. Bitschius *ad Consvetud. Feud. lib. 1. Tit.* 1. §. *2. pag. 27.* ita in *2.*

feud.

feud. 32. Imperator Lotharius non loquitur de Imperio *in genere*, multo minus de imperio antiquo, sed de Imperio suo *Romano* scil. In textu ex *Cap. 14. vers. 2. & seqq.* allegato Genes. Fit quidem mentio subjectionis, sed hanc non importat feudi recognitio, & illa potest esse vel ex tributi præstatione, vel ex alia causa. Schrœter *in arb. feud. disp. 1. th. 7. pag. 9.*

ALII ALITER:) Alii deducunt feudorum originem a *Romanorum clientelis*, ideo, quoniam vasallus vocatur clientulus. *2. Feud. 10. 2. feud. 13.* cum tamen ab appellatione & nomine nihil inferri possit, præsertim cum inter eos quibus nomen est commune, intercedat notissima differentia seu diversitas, quæ in hoc consistit, quod clientes Romani prædia sua non habuerint a Patronis, sed pleno Jure retinuerint. Molinæus *in Consvet. Paris. tit. 1. num. 12.* Alii ab *agris in limitibus imperii Romani sitis* & militibus assignatis, sed tamen pleno Jure & non pro fide, quod cum natura feudorum non convenit; Alii a militiis Romanis, quæ tamen erant functiones, in quibus quis sine fidelitatis & servitiorum præstatione certam navabant operam. Alii ab hominibus, qui Jure civili dicuntur procuratores, actores, &c. hi tamen erant bonam partem servilis conditionis, tenebantque possessionem non propter fidem & onera militiæ; sed ob pensionem & administrationem. Alii denique a Carolo Magno, sine tamen sufficienti ratione, cum ex historiis constet, quod ante eum jam in usu feuda fuerint, ejusque avus Carolus Martellus decimas ecclesiarum consensu Papæ Zachariæ militibus Anno 714. in feudum dederit; accedit, quod Caroli Magni in Consvetudinibus feudalibus plane nulla fit mentio, quæ tamen respectu aliorum Imperatorum, qui aliquid in hoc genere constituerunt, a Compilatoribus non fuit omissa Finkelth. *disp. feud 1. controv. 5.*

LONGOBARDORUM.) Hi communiter appellantur vel a *longis* ac prolixis nunquamque tonsis *barbis*, quas aluisse dicuntur quasi *longo barbi*, vel a *longis hastis* & cuspidibus, quibus usi fuerunt, quæ tamen derivatio ideo non est agnoscenda, quia facit ex Latino & Germano unam vocem, deinde

ex

ex disconvenientia in literis, verbum enim Bard scribitur vel per P. durum: Longobardi autem scribuntur per B. molle, verisimilis ergo ea est sententia, qua Longobardi nomen accepisse statuuntur a Germanico Lange Börd, apud Saxones enim Börd, nihil aliud est quam Bau Erde, & hinc Longobardi dicuntur quasi Lange Börder, quia fuerunt incolæ territorii & loci qui dictus Lange Börd, id enim est extra dubium Longobardos relicta sede patria Pannoniam & Austriam occupasse, & postea una cum Saxonibus Italiæ regnum invasisse, idque post occupatas plures urbes ultra seculum possedisse, a Latinis dicti fuere *Bardi*, quod tamen non ita accipiendum, ac si fuerint. Longi bardi seu stulti ac tardi, istam enim significationem præter alia non admittit notissimus versiculus:

Gens astuta, sagax, prudens, industria solers,
Provida consilio, Legum Jurisque perita.

Winkelmann in not. veter. Saxo: Westphal. Cap. 3, num. 22. & seqq.

ARGUUNT.) Huic argumento & rationi non obstat, quod feudum derivetur *a fide, 2 f. 3.* quod est nomen Latinum & non Longobardicum, distinguendum enim inter *veram derivationem*, & inter *allusionem*, deinde distinguendum inter *rem ipsam*, & inter *rei nomen*, feudum enim antea dictum fuit *foede* vel feod, postea latine dici coepit feudum. Struv. *Synt. Jur. feud. c. 2 aph. 1. num. 3.*

CONTRARIUM. Contrarietas vel potius inter Jus feudale & Romanas Leges diversitas, (ob diversa enim subjecta & objecta desunt veræ oppositionis requisita:) non est *absoluta* & *indefinita*, sed *respectiva*, & pertinet tantum ad consuetudinum feudalium decisionem ex consuetudinum feudalium tenore expressa desumenda. Consuetudine autem feudali ejusque interpretatione deficiente etiam ex Legibus Romanis, & rationibus Juris Civilis controversiæ feudalis decisio peti potest *2. f. 1.* ibique Bitsch. *notab. 2. & 3.*

ACCESSERUNT CONSTITUTIONES.) Eæque tam innominatæ *2. F. 56*, quam nominatæ, *2. F. 1. 27. 30. 40 52.* & 57.

& 57. quarum accesfione neque Jus Feudale confvetudinarium fuit mutatum in fcriptum, neque Imperatorum Conftitutiones affumpferunt naturam confvetudinis: Iftud ideo, quoniam acceffio non habet vim expreffæ fanctionis vel promulgationis, qua demum confvetudo tanquam Jus non fcriptum transformatur in Jus fcriptum. Accedit, tum quod ifta acceffio facta non fit publica, fed privata autoritate, tum quod in Conftitutionibus adjunctis contineatur non Juris feudalis antiqui & confvetudinarii expreffa confirmatio, fed ut plurimum ejus abrogatio & Juris novi introductio; Hec propterea, quoniam acceffio eft nudum accidens, adeoque Jus accedens intrinfecus non afficit: præterea Jus fcriptum, cujus fpecies funt Conftitutiones Imperatoriæ. *§.3. J. de J. N. G. & civ.* ita comparatum non eft, ut ob promulgationem expreffam transformari posfit in Jus confvetudinarium, qvod non uno actu uti Jus fcriptum, fed per actus plures & longum tempus introducitur. *§.9. J de J. N. G. & civil. l. 32. 33. 35. ff. & leg. l. 1. C. quæ fit long. Confvetud.* Non obftat, quod Conftitutiones Imperatorum fint pars confuetudinum feudalium, & cum his totum conftituant adeoque ejus fint naturæ. *§.8. in fin. Inft. de fideic. hered. L. 76. ff. d. R. V.* Sicuti enim diftingvendum inter *partem integralem principalem*, & inter *minus principalem* & *acceſſorium*, ita regula: quod Juris eft de toto idem Juris eft de parte, tunc demum procedit, quando eadem eft totius ac partis ratio, Everhard. *in Loc. Legal. Loc. 8. num. 7.* quæ hic deficit, hinc ulterius diftingvendum inter *partem homogeneam* feu *fimilarem* & inter *partem heterogeneam* feu *diſſimilarem*, non illam, fed hanc conftituunt Conftitutiones Imperatoriæ qvoad Jus feudale confvetudinarium feu confvetudines feudales, quibus indigitatur compilatio, qvæ varia de feudis Jura conftituta comprehendit, nihil movet, qvod Conftitutiones Imperatoriæ libris feudorum privata authoritate fuerint infertæ, hoc ipfo enim cum authoritatem non habeant ab ipfa infertione privatim facta, fed a fanctione publica, prior natura ac forma in aliam ac diverfam non fuit transformata: nec obftat denique quod Lex Romuli de poteftate patria lata. Dionyfius

ſius Halicarnaſſ. *lib. 2. antiquitat. Roman. Cap. 27.* & ſic Jus ſcriptum mutatum fuerit in Jus non ſcriptum, moribusque Jus poteſtatis patriæ receptum dicitur. *L. 8. pr. ff. de his qui ſui l. alien. Jur.* diſtingvendum enim inter Jus ſcriptum *tale ſubſiſtens*, & inter Jus ſcriptum expreſſe vel tacite *abrogatum*. Lex Romuli de patria poteſtate quamdiu talis, qualis lata fuit, permanſit, Jus ſcriptum eſſe non deſiit, quod tamen factum poſt exactos Reges per Legem Tribunitiam, qua omnes Leges Regiæ fuerunt abrogatæ. *L. 2. §. 3. ff. de orig. Jur.* ex his quædam tamen ſucceſſive per uſum revocatæ ac receptæ.

LOTHARII III. VEL RECTIUS II) Utrumque tamen recte, cum Lotharius Secundus dicatur tertius, ſi ſcil. inter numerum Imperatorum ſimul referatur Lotharius, Hugonis filius, qui poſt extinctam ſtirpem Carolinum titulum Imperatoris in Italia ſibi arrogavit, dictusque Lotharius. II. Struv. *in Synt. Jur. Feud. Cap. 1. aph. 5. num. 3.* quo attento tolerari poteſt ſuperſcriptio tituli 52. *2. feudor.* quæ mentionem facit Lotharii Tertii, qui tamen omiſſo Lothario putativo adulterino, quem vocat Molin. *in Commentar. ad Conſuetud. Pariſ. tit. 19. num. 53.* & ſeqq. fuit Secundus, & hic etiam pro authore *tit. 1. feud.* eſt agnoſcendus. non obſtante, quod Conſtitutio feudalis promulgata dicatur tempore Eugenii Papæ, qui & quidem nomine ſecundus ſedit, cum Lotharius primus a patre Ludovico Pio non ſolum Rex Italiæ declaratus, ſed etiam in ſocietatem Imperii fuit aſſumtus. Sicuti enim tam in *tit 52. 2. f.* ita etiam in tit. *19. 1. f.* error eſt commiſſus, & vox Eugenii pro Innocentio eſt poſita ¡que error exinde conſtat, quod Imperatoris Lotharii III. vel II. Synchronos non fuerit Eugenius, ſed Innocentius Secundus, his accedit, quod non modo nullum aliud promulgatæ a Lothario I. feudalis conſtitutionis extat teſtimonium vel indicium, ſed etiam conſtitutio de ſucceſſione feudali in *tit. 19. f. 1.* contenta autorem habet Imperatorem ducentis annis poſt Lotharium Primum electum Conradum nimirum Secundum, *1 f. 1. ſ. 2.* ab hoc ergo primum introductum non poteſt dici ab ejus anteceſſore ante annos ducentos conſtitutum, bene tamen a ſucceſſore,

 qualis

qualis fuit Lothar.III. Confirmatum. Bitsch. *ad tit.19. 2.f.pr. notab.6.*& seqq.adeoque nulla urget necessitas, ut cum Godofredo Antonio *disp.feudal.* 1.*th.* 1.*Lit.* statuatur Conradum constitutiones Lotharii Primi & confirmasse, & ad alias personas produxisse.

URBANI) & quidem Secundi, qui contemporaneum habuit Imperatorem, Henricum IV. & Anti-Cæsarem Hermannum Lüzelburgium, de cujus decreto ac concluso Synodi Piacentinæ Anno 1095. facto inque *Canone alienationes 37. Caus.* 12. *qu.* 3. extare, non tamen sine contradictione præsupponitur. Alvarottus *in Comment. ad Consuet. feudal. Lib.* 1.*tit.* 6.*num.* 2. De quo decreto quæstio movetur, *an habendum sit pro Jure scripto*, an non, quod si consideretur tempus sanctionis & adjunctionis ob autoritatem & potestatem a Pontifice tunc temporis usitatam & agnitam non potest non dici Scriptum, hodie autem valet non ex præscripto Pontificis, sed quatenus cum aliis decretis Papalibus & decretalibus usu receptum, & hoc modo referendum est ad Jus feudale non Scriptum.

NON INEPTE.) Idem quoque cum Cujacio ad *Libr.* 1.*feud. in pr. pag.* 1. Molin. *Comment. ad Consuet. paris. tit. num* 46. Finkelth. *disp. feud.* 1. *Controv.* 1. dicit ac defendit, argumentis tamen parum plausibilibus; allegatio enim sententiæ Gerhardi & Oberti non necessario includit compilationem, cujus approbationem nec inscriptio *tit.* 1.*feud.*2. movet, nec usus feudi expositio, nec etiam libelli mentio 2.*f.* 1.*&* 2.& 2.*f.*24.§.2. *vers. illud tamen.* Sicuti enim in Digestis Ulpiani, Pauli et aliorum ICtorum referuntur opiniones, qui tamen pro Digestorum Compilatoribus non habentur. Rüdinger *in method. Univers. Jur. Feud. Cap.* 1. *num.* 19. ita non constat de inscriptionis Autore, & Juris expositio multum differt a Juris Compilatione, libelli autem conceptio includit & quamlibet scripturam. *L.* 1.§. 4. *ff. de appell.* & observationum feudalium annotationem, quæ ab Oberto collectam compilatorem adhibuisse, negandum non est, interim pro sententia facit contrarium, quod Gerhardi & Oberti autoritas ac sententia in Jure feudali non modo allegetur ac laudetur

detur, *2. f. 25. 2. f. 34.* §. 1. *in fin. 2. f. 36.* ſed etiam nonnunquam improbetur ac refutetur. *1. f. 13 2. f. 51.* ſui ipſius autem laudatio ac refutatio de libri compoſiti Autore non præſumitur, quod autem iſta facta fuerit a tertio, qui Gerhardi & Oberti ſententias recitaverit ac refutaverit, dicitur quidem, ſed non probatur, adeoque Compilator Conſuetudinum feudalium ſtatuendus eſt Autor incertus, qui eas privata autoritate ex variis prudentum, & in ſpecie Gerardi Nigri Capagiſti & Oberti de orto obſervationibus & annotationibus collegit. Schröter *in arb. feud. diſp. 1 propoſ. 8. in addit. pag. 11.* & ſeqq.

§. III.

Occaſio & cauſſa Feudorum inſtituendorum fuiſſe videtur, ut eſſent beneficia militaria, per quæ Principes beneficiarios ad ſervitia bellica ſibi adjungerent, & beneficiarii dehinc haberent, unde ſe honeſte ſuſtentare poſſent. Quo etiam Carolus Magnus Imperator quondam procul dubio ſpectavit, cum Nobiles Germanos, ſubactis Saxonibus, ita alloqueretur: Ite milites mei, vos Heroës vocabimini, Socii Regum; Judices criminum, vivite poſt hac laboris expertes, conſulite Regibus pubillos nomine, favete orphanis, juvate pupilico, conſilio circumdate Principes, ab his victum & veſtitum & ſtipendium petite: Siquis negaverit, ingloius infamisque eſto; Si quis injuriam vobis in-

tulerit

tulerit, reum se Majestatis agnoscat. Vos autem cavete, ne tantum decus, tantumque privilegium justo bellorum labore partum, aut ebrietatis, aut scurrilitatis, aut aliquovis vitio maculetis, ne qvod largimur vobis ad gloriam, redundet ad pœnam, quam de vobis sumendam, si forte excesseritis, Nobis & successoribus nostris, Romanorum regibus, perpetuo reservamus. *Christianus Matthiæ in Theatr. Hist. Theor. Pract. p. 824.* Sic Vasalli sæpius milites in libris Feudorum nuncupantur; 1. *F. t.* 21, 22, 23. qvamvis hodie Feuda ad alia qvoque honesta officia in pace obeunda concedantur. *Rittersh. part. Feud. lib.* 1. *c.* 1. *n.* 4.

CAUSA FEUDORUM!) Causa allegata non tam est causa præcedens ac impulsiva, quam futura ac finalis, cum qua etiam concurrit tum retributio ac compensatio operarum in bello præstitarum ac præstandarum, tum honor ac salus Imperii *2. f. 52.* tum rerum ad oblationem feudalem invitatio, Struv. *Syntagm. Juris Feudal. c. 1. aph. 3. n. 3, 57.*

§. IV.

Ad Feudorum originem hoc etiam spectat, quod initia eorum valde tenuia fuerint. Antiquissimo enim tempore in potestate Dominorum erat, ut quando vellent, Feuda revocare possent; Deinde temporis tractu, per annum

annum tantum valuere: Tertio ad vitam usque Vasalli producebantur, & morte ejus exspirabant; Quarto ad filium Vasalli, quem Dominus eligebat; Quinto ad omnes Vasalli filios æqualiter; Sexto ad Nepotes ex filio perveniebant; Septimo Frater Fratri quoque in Feudo succedebat; Octavo cæteri Collaterales usque ad septimum gradum, hodie in infinitum; Et Nono denique descendentes Masculi in infinitum; qvod nunc usqve in diem observatur. 1. *F. t.* 1. §. 1. 2. 3. 4. 2. *F. t.* 50. vide tamen infra de Feudo antiquo & novo.

Et tantum de origine Juris Feudalis.



COROL-

COROLLARIA.

Datur adhuc Jus Publicum Romanum.

Jus Publicum differt a Politica.

Jus Publicum in Academiis explicare licet.

Juris Publici explicatio ſpectat ad ſolos Jure Conſultos.

